



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quæ Donationes non indigent Insinuatione? paragr. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

petatur modo, quo dixi nuper de Donatione omnium bonorum. Ipse autem semper poterit repetere, si voler, etiam si sciat, nullam in Donatione irrepsisse fraudem, vel vim, quia hanc facultatem illi Leges concedunt. *Poste Donatorem cedere huic Juri, ut scilicet valeat sua Donatio sine Insinuatione saltem in foro conscientiae, significant nonnulli Doctores apud b Dianam.*

§. II.

Quarum Donationes, quamvis excedentes 500. solidos non indigent Insinuatione?

1. Primò, Donatio facta causæ piæ (inter piæ esse numerandam causam redimendi captivos, dubium tibi nesci) ita communiter Doctores apud Dianam, c.

2. Secundo, facta Principi summo, vel facta à Duce Militibus de rebus mobilibus.

3. Tertio, Donatio facta in Remunerationem.

4. Quarto, facta ob causam. Et quidem Donationem Patris, atque, ex meliore sententia, etiam Matris, factam Filio contemplatione Matrimonii ejusdem Filii, esse ob causam, diximus alibi. Quare hic consequenter dicendum Insinuatione non indigere ex vi Juris communis.

5. Ac nota, Donationem extranei factam alicui, etiam contemplatione Matrimonii non esse ex causa, sed prorsus liberalem, quia est voluntaria, & non procedens ex radice necessitatis, cum extraneus non obligetur curare Matrimonium alterius. Lege de hoc latè Marium Cutelli, *et* atque adeo certum est, *semper hanc extranei Donationem esse modo supradictò insinuandam.*

6. Dixi (ex vi Juris communis) nam in Jure nostri Regni Siciliae communiter nostri Doctores docent, Donationem Patris, vel Matris filius factam, etiam ob Matrimonii causam, debere insinuari; id enim præcepit Capit. 61. Regis Ferdinandi, & novissimè constitutio Comitis Castri e paragraph. secundo. Sed refragatur nihilominus idem Cutelli *f* contendens dictum nostrum Jus municipale aliud intendere, non autem necessi-

tatem Insinuationis. Illum adi, si tibi est otium; monitus tamen à me, ut Insinuationem prædictam ne negligas, tum, ut lites, quantum abrumpere potes, abrumpas, tum, quia praxis nostri Regni dictum Capitulum Ferdinandi, dictamque Castri Constitutionem, ad literam, observat, ut paulò gante *g Sup. §. 1. n. 9.*

7. Quinto Donatio causa mortis.

8. Sextò, Donatio, qua uxor sua bona donat viro in dotem.

Id, quod Diana *b* extendit etiam ad *h Diana* sponsalitiæ largitatem: sed hæc ex Jure *p. 8. tr. 6.* communi, nam in nostro municipali Jure *ref. 47.* idem dicit, quod dictum est modo numero sexto.

9. Septimò, Donatio bonorum, quæ Religiosus secum affert ad Monasterium, dum professionem emittit.

10. Hæ septem Donationum Classis validæ sunt sine Insinuatione, ut habent Jura Civilia, & docent communiter Doctores, quorum multi citantur à Diana loc. cit. Ratio autem Primæ est, quia Legislator Civilis non potest leges condere in detrimentum operum bonorum.

11. Ratio secundæ est, quia Donatio facta Principi, vel à prædicto Duce excipitur ab insinuatione in dicta *L. Sancimus.*

12. Ratio Tertie est, quia Remuneratoria, in rigore, non est pura Donatio, ut supra indicavimus *Capit. secundo, paragr. secundo, nu. secundo.* Undè Donationes reciproæ, seu colligatæ inter fratres, de quibus dixi *cap. 4. paragr. secundo, numero septimo.* Si fiant in recompensationem, ut ibi explicuimus, non indigent insinuatione, indigent vero, si fiant absolute, & independentes, quia illæ non sunt puræ Donationes, hæc autem sunt.

13. Hæc etiam reduco Donationem, qua Filius moderatum aliquid donat Patri, ob emancipationem; ejusmodi enim Donatio remuneratoria est; Filius enim accipit à Patre Beneficium solutionis à Patria potestate. Pater autem accipit beneficium, non amplius alendi filium. Sed cur hæc Beneficia invicem non compensentur, & consequenter, quod datur, quamvis propter ipsam emancipationem, cur non dicatur pura Donatio indigens insinuatione? Sanè ita cum Pipello tenere videtur

detur Molina citatus, sed non exceptus à Delugo. *a*

a Delugo d. 23. de iust. num. 162.

14. Ratio Quarta est, quia non est pura Donatio ea, quæ sit ex causa, nam Donatio, g. quam alicui facis, ob obsequium, seu laborem pro te impensum, vocari non poterit liberalis, seu pura.

15. Huc reduco Donationem factam ad reparandam domum, quæ ruina, vel exigue destructa est, dummodo donata ad illum solum usum expendatur. Ratio est, quia reparatio domus causa legitima est, cum ad bonum publicum faciat, reparari domus, & ita decernitur in Jure. *b*

b L. penul. C. de Donat. Jul. Clar. g. 17.

Ratio Quinta est, quia Donatio causa mortis, ut supra vidimus, potius est ultima voluntatis dispositio, quam Donatio. Esto aliqui cum Julio & Claro dicant, Donationem causa mortis indigere insinuatione, quod certè etiam probabile est.

16. Ratio Sexta, & Septima est, quia illæ non sunt Donationes, nam sunt quid consequens ad personam, &c.

Sed quid Primum, de remissione debiti?

Respondeo, distinguendo, nam remissio debiti juris acquisiti, si excedit prædictam summam, sub pœna nullitatis est insinuanda. At vero remissio juris acquirendi non est necessario insinuanda. Ratio est, quia illa æquivaleret Donationi, non autem hæc, quæ solum est non acquisitio. Nam propterea Confessio, qua, dote non soluta, fateatur Marius, solutam esse, indiget insinuatione, quia est remissio juris acquisiti.

17. Quid Secundò, de Donationibus pluribus facta?

Respondeo, si Donatio pluribus facta simul, eodemque tempore fiat, invalida est quoad excessum, si non insinuetur, etiam si Donator dicat, se facere diversas Donationes quia adhuc est Donatio excedens, idem dic, si ejusmodi Donatio sit diversarum rerum, ut, si quis donaret equum, prædium, vel stem, quæ quamvis singulæ non excedant, excedunt tamen simul junctæ. Relege *L. Sancimus*, ubi Legislator Donationem pluribus factam insinuationi subjectam vult, & meritò, quia sic depauperari etiam facile quis potest.

18. At verò, si successivè fiat pluribus, insinuatione non indiget, quia tunc verè sunt multæ Donationes, quarum nulla, ut supponimus, excedit summam quingentorum soli-

dorum. Lege Molinam, *d* & Rebellium, *e* & Molin alioque apud Dianam *f*

19. Hinc si quis donet Censum, qui uno anno non excedit quingentos solidos, excedit autem unitum cum aliis annis, si quis, inquam, donet ejusmodi Censum exigendum per multos annos, sed solum durante vita Donatarii, vel ipsius Donatoris, non indiget insinuatione, quia sic censentur multæ Donationes distinctæ; cum enim vita possit durare solum per annum, modica judicanda est Donatio, quæ sit certa, quæ autem correspondet aliis vitæ annis, cum sit incerta, non est censenda vera donatio.

Contra vero, si quis donet eundem Censum exigendum à Successoribus Donatarii, & solvendum ab hæredibus Donatoris, ut etiam si quis donet eundem Censum determinando tot annos, quibus pensiones Censu excedant quingentos solidos, indiget insinuatione, quia tunc donatio præsumitur esse facta per modum annui. Ita clarè decernit dicta *Lex Sancimus §. ult.*

20. Quid Tertio, si contra, hoc est, si multi v. gr. decem, aliquid mihi donent, quorum singulorum donatio non excedat, omnium vero excedat summam 500. solidorum?

Respondeo. Onnate *g* sic distinguit. Si ii decem, communicato consilio, donent uni tibi, insinuatione opus esse, quia est una Donatio. Si vero singuli per se donent, insinuatione opus non esse, quia sic, sunt plures Donationes. Hæc Onnate, nullam rationem, nec auctoritatem ullam afferens. Non est igitur approbandus, nisi fortè loquatur de Donatione facta à multis, qui constituunt unam personam moralem, ut, si Universitas, Civitas, Capitulum donaret; tunc enim esset verè una Donatio. Quod autem, si secus intelligatur, approbandus non sit, patet, quia intentio Legis est moderari effusas largitiones, hoc est. prodigaliter ex parte Donantis. At

quæ est visio est, si mille v. gr. homines, communicato consilio, donent tibi singuli ex propriis bonis solidum unum?
